liciti, ut dictas dispescant operationes, in internas s. immanentes (uti priores duæ sunt) & externas s. transeuntes, (in quarum censu posteriores deprehenduntur) & quanquam adhuc aliàs dari non facilè negaverim, recensitas tamen præcipuas & potiores esse neminem ambigere persuasum habeo.

§. 4. Immanentium itaque operationum prima intellectio est, cujus naturam & indolem ut penitius investigarent Autores nec labori nec tempori parcendũ esse existimarunt: Ne verò singula quæ observationem merentur ἀμεθόδως congessisse videar, in certas classes, uti par est, illa digeram, rationem formalem, principium, modum & objectum hac vice paucis speculaturus.

§. 5. Rationem nunc formalem quod spectat, dicimus, quòd intellectio sit operatio Angeli, qua suo intellectu ille modo spirituali cognoscit omne intelligibile sub ratione veri: ex quo patet, quòd intellectio Angelica vera actio sit essentiæ superaddita, quemadmodum ex mutabilitate, & perfectibilitate (ut loquuntur Scholastici) ejus colligere est, Non verò putandum est, quasi illa actio sit ipsa Angeli essentia, mutabiles enim sunt intellectiones Angelicæ & augmentabiles, ubi tamen substantia Angelorum in se est manetque immutabilis, ut rectè *ex Thom. in* 1. *p. q.* 54. *art.* 1. *Suarez. Disp.* 35. *Met. Sect.* 4. *n.* 10. *p. m.* 295. *Scoto in* 4. *D.* 1. *q.* 1. *& Francisco Lycheto Scoti Expositore* 1. *d.* 8. *q.* 1. *part.* 2. *fol.* 109. *q.* 1. φιλοσοφώτατ& *Scheibl. l.* 2. *Metap. c.* 4. *Tit. XI. p.* 415. *B. Scharff. in Pneumat. p.* 169. *& Cl. Ebel. in Aph. metaph. p.* 152. advertunt. Scribo notanter, essentiæ superaddita; ut videlicet ad Principium intellectionis Angelicæ via quadantenus mihi sternatur: illud Principium intellectionis Angelicæ veluti actus primus duplex, alterum radicale; quod ipsam essentiam